
CONTINUATIO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ DUCATUS GELDRIÆ

Ab Anno MDCCI usque ad Annum MDCCXXV.

A N N O M D C C L

DECIMO quinto mensis januarii *Fredericus* Elector Brandenburgicus primus Rex Borussiæ proclamatur, ac decima octava die dicti mensis in Koningsbergh Prussiæ Metropoli in regem solemni ritu ungitur.

Neo-Rex ordinem equestrem nigræ Aquilæ instituit, ac alia quæ regiæ Majestatis erant, peregit. Sparsa sunt in vulgus numismata aurea atque argentea, quæ ab unâ parte ferebant *Fredericus Rex* unct : Regiomont : 18 January; ex alterâ vero parte : cum regiâ corona. *Prima meæ gentis.*

Sexto Februarii Namurci, Luxemburgi, Montibus Hannoniæ et in alias Belgii civitates, quas Batavi mixto cum Hispanis præsidio tenebant, noctis obscurò admissi sunt Galli, idque jussu Emanuelis Electoris Bavariae, tunc Belgicæ Prafectori.

Mense martio Galli sub ductu Comitis de Cogny et Marchionis d'Allegré superiorem Geldriæ tractum occupant; et quidem vigesimâ memoriati mensis Ruræmundam ingressi

sunt, mox Venlonam, Gelram, alia que fortalitia præsidio, aliisque belli meditamentis communiunt.

Elector Bavariæ 23 Martii 1701, Bruxellis discedens Germaniam petit, accopiosam conscribit militiam. Quemadmodum Hispanicæ ditionis loca Galli Hispanis juncti pro Philippo quinto in Hispaniis, tum Belgio tenebant, ita Regnum Neapolitanum ac Ducatum Mediolanensem in Italiam occuparunt, eumque mox tum Neapoli, tum Mediolani Regem ac Dominum proclamant. Erat autem Neapoli Prorex Dux de Medina Cœli, Ducatum vero Mediolanensem Princeps Vaudemontius curabat.

Neapoli tamen plures inclinabant ad Austriacos; hinc conspiratio per multos nobiles contra Hispanos ac Viceregem facta, ast detecta. Inde adversus conjuratos pugnatum est, qui devicti fugam capescunt, pluribus captis ac punitis.

Imperator interea sub principe Eugenio exercitum numerosum in Italiam mittit, ut ea, quæ erant hære-

Exordium belli.

A

PRODROMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

ditatis Hispanicæ nempè Neapolim , ac Mediolanum occuparet : obfistunt Hispani , qui mox aucti copiis gallicis sub Catinatio , ac postea sub Duce de Villeroy : attamen per Cæsareos primò lacefitti : nondum quippè indictum bellum erat : ac propè oppidum Carpi fugantur.

Mense Septembri initum foedus a Cæsare Leopoldo , cum Anglis , ac Batavis contra Ludovicum Galliæ Regem ejusque nepotem Philippum Hispaniarum Regem : foederi imperii Principes pere omnes accesserunt , si Bavarios fratres exceperis , Emanuelem nempè Bavariæ , ac Josephum Coloniensem Electores , qui Gallo ac Philippo ex sorore nepoti ad hæserunt ; hinc in oppida diæcessis Coloniensis , Novesium nempè , Keyserweerdam , Rhenobercam Sontinæ (Sons) aliaquæ dictæ diæcessis locamiles gallicus admittitur.

Undecimâ Septembris Maria Ludovica Gabriel filia Duci Sabaudiæ secundo - genita matrimonio jungitur Philippo Francisco Hispaniarum Regi: solemnitas matrimonii fuit Taurinii celebrata , ac die posterâ , nempè duodecimâ ejusdem mensis , Regina Hispanias petit.

Decimasextâ ejusdem mensis vitâ functus est in regio palatio S. Germani , qui in Galliis exulabat , Jacobus secundus Angliæ Rex , ætatis annum dum ageret sexagesimum octavum ; sepultus in ecclesia Benedictinorum anglorum in suburbio S. Jacobi ; ejus filius mox a Rege Galliarum salutatus Rex Angliæ sub nomine *Jacobi tertii*.

Ad cathedram Ruræmundensem , quam Reginaldus dimiserat , Hispaniarum Rex Philippus quintus delegit venerabilem Patrem Angelum d'Onghies Capucinum , ex il-

lustri Comitum d'Onghies et d'Estrees familiâ natum , ac regium in Burgundiæ et Castellæ Capellis , Ecclesiasten : Regis voluntati , ubi Clementis XI Pontificis confirmatio accesserat , Anthonius du Mont Decanus ac Vicarius Generalis Ruræmundensis vice Neo - episcopi possessionem Cathedræ cepit 27 . Decembris , quæ erat dies sancto Joanni Evangelistæ sacra.

ANNO MDCCII.

Kalendis Januariis Humbertus a Precipiano Archiepiscopus Mechliniensis venerabilem Patrem Angelum d'Onghies Episcopum consecravit Bruxellis in Ecclesiâ Patrum Capucinorum : consecrationis solemniis astiterunt Reginaldus Antverpiensis , Philippus Erardus Gandensium , nec non Guilielmus Brugensis Episcopi , ac decimanonâ mensis proximè seuti cum a Clero , tum Populo , obsequente etiam in armis milite Neo - episcopus in Cathedram Ruræmundanam introducitur ingenti honoris significatione : qui , rebus utcumque dispositis sollicitudine pastorali cepit gregi suo intendere , Parochias inspicere , Sacramento confirmationis munire subditos , Verbum Dei annuntiare , maximè in adventu Domini ac Quadragesimâ , atque eo , quod instabat , procelloso tempore , Ecclesiam suam ac Religionem Catholicam pro virili tutatus est.

21 Februarii Philippus *Delphini* Gallici filius Ruræmundæ in foro solemni ac consueto ritu Dux Geldriæ inauguratur , ac tantus belli comeatus unâ cum tormentis bellicis in Geldriam ex Brabantia advectus fuit , ut frumento condendo granaria Venlonæ ac Ruræmundæ haud sufficerent ,

Venerab.
Pater
Angelus
d'Onghies
consecra-
tur Epis-
copus
Ruræ-
mond.

Obitus
Jacobi II
Angliæ
Regis.

Obitus
Wilhelmi
III. An-
glie regis

sed et Ecclesias ipsas, etiam Cathedralem, Monasteria eorumque ambitus, silagine, tritico et avena ex parte oppierent.

Obitus
Wilhelmi
III. An-
glie regis

19 Martii obiit Wilhelmus tertius Angliae Rex, cui Anna Jacobi secundi Regis filia, ac Georgio Daniæ Principi nupta successit, et 4 Maii (novo stylo) diademate regio solemniter more gentis decorata. Galli, vernante tempore, sub Duce de Boulers per Belgium Geldriam petunt, transmisso propè Stevensweerdam ac Ruræmundam Mosam : eos protinus sequitur Dux Burgundiae Delphini Gallici primo-genitus, qui Kalendis Maii Ruræmundam appulit pernoctans in Aula Provinciarum Gelricæ : postero die, ubi prius in Ecclesiâ nobilium Virginum vulgo het Munster Antistitis Sacro interfuerat, ab eo, uti ab obsequente Capitulo Cathedrali salutatus, ad castra propè Xantos perrexit.

Batavi numero Gallis impares, desertis propè Xantos castris, Cranenburgum usque sub Comite de Tilly recedunt, qui Gallos, silente agmine, neomagum properantes antevertunt, præcipiti adeo cursu, ut quos portæ Neomagenses non caperent, in munitiones ac vallum effunderentur. Hic Galli subsistunt, ac depopulatis, qui Mosam inter et Vahalim interjacent, agris, castra propè Clivos metantur, ipsamque Cliviam hostiliter vexant.

Mense maio Leopoldus Cæsar, Angli ac Batavi Franciæ Regi ejusque nepoti Philippo Hispaniarum Regi bellum indicunt, quæ indictio postmodum ex parte Cæsaris ac Romanii Imperii in Octobri repetita est.

Inter hæc Elector Palatinus ac Princeps Nassavius Saerbrugh Cæsaris insulam impetunt circa Aprilis medium, collectis, qui belli socii accesserant, Hassia, Brandenburgis, Batavis-

que : est autem Cæsaris insula oppidum apprimè munitum, dextræ Rheni ripæ adjacens, secundo infra Dusseldorfum lapide, ubi præter Patres Capucinos est egregium Canonicorum Collegium, et Ecclesia sancti Swiberti Cœpiscopi sancti Willibrordi, qui cum sociis Anglo-Saxonibus Frisones, Batavos, Vestphalos, vicinique incolas a gentilismo ad Christum converterunt initio Sæculi septimi, estque S. Swibertus in eadem Ecclesiâ sepultus, ac miraculis clarus, prout hæc latius referuntur in historiâ nostrâ ecclesiastica lib. I. cap. V. Hoc oppidum jussu Septemviri Coloniensis præsidio gallico firmatum erat ; obsessis id opis accesserat, quod Comes de Tallart a Bouflerio submissus cum copiis gallicis cis-Rhenum suggestu tormentis hostem trans-rhenanum quateret, idque magno obsidentium impedimento : missus insuper a Tallardo per pontem sublicium identidem in oppidum integer miles, qui continentis Germanorum assultus pro virili retunderet, dum saucius interea miles Venlonam curandus veheretur, præter angustiam loci infesto igne omnino consumpti, id quoque incommodi obsessos premebat, quod præter missiles ignes magnam vim lapidum hostis ex mortariis mitteret, qui coribus inclusi ac ad certam mensuram in æra librati in obsessorum capita grandinis instar deciderent, quibus avertendis crassiorum asserum tabulato sese obsessi tuebantur.

Consumptâ igitur utrumque ingenti hominum multitudine, oppidum decimo quinto Junii in Germanorum potestatem transiit. Pacta ac conditiones tradendi oppidi a Principe Nassovio, ac Marchione de Blainville loci Præfecto signata sunt.

Keyser-
Weerda
obsessaet
subjug.

4 PRODROMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Mox portæ et reliqua, quæ supererant munita solo æquantur; supererat turris firma admodum et excelsa Rheno imminens, ceu frenum amnis, hæc magno etiam præsidio obsessis fuerat, quam hostis tormentis bellicis et bombis incassum fatigaverat, ex quâ Pæfecti Gallorum tutò hostium castra corumqæ operas speculabantur, hæc turris supposito pulvere tormentario demum subversa est, jacetque hactenus oppidum in ruinis suis sepultum. Sola quippe Ecclesia Capucinorum immunis manserat, at Ecclesia S. Swiberti Collegiata etiam igne consumpta, jam ex ruinis augustior, quam ante, cura Canonorum surrexit. Tempore obsidionis magnopere trepidatum erat Dusseldorfii duabus leucis Keysersweerdâ dissiti; Tallart quippe Gallus, qui obsessis è ripâ Rheni Belgicâ præsidio erat, quasdam Copias ex adverso Dusseldorfii locavit, cæpitque excitare tormentorum et mortiorum sedes, ut Dusseldorfium Electoris Palatini Aulam Civitatemque martio igne impeteret, hinc magnâ præcipitantia tumultuariè ex Urbe et Aulâ effleruntur quæcumque, in agrum montensem extra portas. At Dusseldorpenses præter trepidationem nil damni perperssi sunt; Tallardo cum suis ad castra keysersweerdica regresso. Submotis igitur trans Rhenum Gallorum Copiis, Germani propè Neomagum Batavis junguntur, quibus et Angli sub Duce Malburgio in Mockensi ericeto accedunt; ac coadunatis ita copiis (octoginta millia dicebantur) transmisso propè Graviam Mosæ flumine rectâ Brabantiam milite vacuam pertunt, positis Achel inter et Hamont in Campiniâ Leodiensi castris. Galli,

Galli
Cliviam
deserunt.

qui p̄opè Clivoshactenus substiterant, sese interclusum iri metuentes, Monsam propè Neer infra Ruræmundam ea celeritate transmittunt, ut fæderatorum copias prætergressi etiam in Campiniâ Leodiensi subsisterent: ubi inter utrumque exercitum præter velitaires pugnas nil memoratu dignum actum fuit.

At Fœderati, ne reliquum æstatis irritò transfigerent, Geldriam Hispanicam occupare statuunt, Gallis ob submissa in Italiam ac Germaniam auxilia admodum imminutis: missa igitur fœderatorum millia decem sub imperio Domini de Obdam Batavi, ejectisque prius è vicino castro de Grevenbroick Gallis, castrum etiam weerhense, quod oppido adjacet, impetunt. Miles gallus immissum ignem ob loci angustiam diutius ferrando impar, honesta pactus circa Augusti medium Ruræmundam duc-tus est. Weertha autem oppidum, eique contiguum castrum quondam fuit Comitum de Horn sedes ac Dynastia.

Fœderati igitur indè Venlonam properantes, xxviii Augusti in Parochiâ nostra de Helden pernoctant, servata utcumque disciplinâ militari. Præter Dominum de Obdam Copiarum Præfectum erant suffraganei Generales Comes nempè de Tilly, qui ad tutelam domus meæ equitem mihi concesserat, ac Generalis de Rhoe. (1) Dominus in Baerlo; postera die Venlonam petunt tribus leucis a pago de Helden dissitam, ac fortalitium Sancti Michaëlis, quod Venlonæ objacet, obsidione cingunt; oppidum verò, quod Mosa interfluis a fortalitio se Jungit, reliqui ex Germania fœderati concludunt: at tormentis

(1) Joannes Baro de Rhoe d'obsennich, Dominus in Baerlo & Equitatûs Bata-vici Generalis in Lusitaniam missus ibidem obiit 11 July 1704.

DUCATUS GELDRIAE.

5

bellicis ob aquæ penuriam, adverso Mosa, serius advectis, undecima demum Septembris obsidio seriò promota est; eratque rei tormentariae Præfector Fries (cui Cokorn nomen) ac apud fœderatos eo nomine in bellicis expeditionibus admodum celebris. Disjectis vi tormentorum fortalitii mœniis, adituque aperto xviii Septembris, hinc Angli Batavique, inde Prussii primas munitiones transgressi, ac præsidiario militi per continentem pugnam immixti in ipsum fortalitium enituntur: præsidiarii in arce positi neque hosti jam pares, ad civitatem trans Mosam fugiunt; at ab hoste præventi ac interclusi sese dedunt, inter quos eminentius erant Dominus Amenzaga fortalitii Gubernator ejusque filius: Brigidarius Wrangel aliquie militiae Præfecti. Inter diditios erat R. Pater Hemming Minorita fortalitii Sacellanus, qui et capite saucius ægrè mortem effugerat. Hic cum reliquis captivis ad Castra Batavorum ductus a Barone de Wittenhorst, Domino in Horst benignè in tentorium susceptus vulneri curando tempus ac medicamenta accepit; inde dimissus obligato adhuc capite apud me in Helden hospes divertit ad alium Conventum sui Ordinis transiturus. Subacto fortalitio mox in Blerickensi Mosæ ripâ (est autem Blerick pagus ex adverso

Venlonæ, Mosæ adjacens) paratur tormentorum sedes, inde machinæ muris ex adverso inter molam aquaticam ac portam tiegelsensem dejicitur: inter tormentorum globos interludebant alii missiles ignes, bombæ nempe, ac pyroboili ex mortariis minoribus (haubitzen vocant, recens inventum) ejaculati, eo igne Conventus Monialium Annuntiarum in Cedron, (1) aliæque domus portæ tiegelseni vicinæ ardebant; alias quoque domos maximè in platea *het maes Schriecksel* infestus ignis absumpsit. (2)

Erat aliud quoque malum Venlonam premens, nempe dysenteria, quæ militem juxta ac civem depascebatur: tum et saucii ex Keysersweerda magno adhuc numero jacebant: miles insuper præsidiarius utpote non usque numerosus, hosti jamjam assultum paranti haud par. Cives igitur Gubernatorem deprecati; locum dedat, neve extrema expectet, ac ita Civitas militi maximè acatholico in prædam fiat. Vigesima igitur tertia Septembris certa lege Venlona deditur, ea conditione, ut nempe miles honoratè decedat: Civium ac Regularium privilegia, nec non Catholica Religio, ejusque publicum exercitium, ut ante, salva maneant: dispositio Magistratus penes Batavos esto. Ecclesia verò sancti Georgii in usum novatæ Reli-

(1) Ecclesia Monialium Annuntiarum reædificata est anno 1730 vel 1731.

(2) Absumpsit etiam Fundationem ac Ecclesiam duodecim veterorum hominum ibidem morantium qui habebant victum & amictum, vocatum lingua teutonica (*Het Mans Huys*) & aliquarum Viduarum vel Filiarum separatim habitantium, quæ tantum habebant panem; sed anno 1776 ad 1777. Dotatæ fuerunt a Domicella Haeken: ita ut modò habeant victum non amictum. Fundatio hæc faciebat angulum (*van het maes en Helschrickel*) cujus vestigia adhuc extant.

6 PRODROMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

gionis cedat. Pacta firmantur in cas-
tris venlonianis 23. Septembris a
Principe *Walramo de Nassau* exer-
citus federati Duce, ac Comite de
Waro Gubernatore Civitatis. Domino
Labadie militiae gallicæ Præfecto,
Courten, Valori. Capitulationis arti-
culos (sunt tringinta) missos facio,
cum alia ex post pacta in tractatu
de *Barriere* infrà adducendo a Cæsare
ac Batavis pro Venloniensibus inita
sint.

Dysenteria non tantum Venlonæ,
uti dictum, sed et in tota Geldria su-
periore plurimos hoc tempore sustulit,
quæ circa medium Augusti cepit, ac
circà finem Novembris grassari desiit.
Alia tamen incommoda saltem gra-
via, ut per prædationes ac pabulatio-
nes ex castris fieri solet, Patria nostra
haud perpessa est; avena quippe ac
pabulum equorum ad castra, uti et
reliquus commeatus subministrata
sunt.

Venlonæ itaque expugnata, continuè
Ruræmundæ ac Stephani insula (ste-
vensweerd) obsidione cinguntur,
et Comes de Noyelles stevensweer-
dam obsidet, deductis a Mosæ Tra-
jecto machinis, quibus concussa de-
ditur secundà Octobris.

Inter deditioñis Capita primum erat,
ut miles cum Præfectis militari ho-
nore Namurcum abeat: quod Oppi-
dani suæ, prout cuique visum fuerit,
Religione vivant. Signata hæc sunt in
castris de stevensweerd secundà Oc-
tobris 1702. Subscriptum: *Comes de
Noyelles. Radda.*

Interea è castris venlonianis mis-
sus Ruræmundam cum equitatu Co-
mes de Tilly 25. Septembris; postera
mox die secutus reliquis exercitus,
ac tormenta bellica. Secundo igitur
Octobris fossæ obsidionales (*appro-*

ches) aperiuntur ex duabus partibus;
et quidem ex inferiore parte Mosæ
per Prüssios sub Comite de Lottum;
ex alia parte fluenti Ruræ a Batavis
dirigente Generali de Fagel; excitati
interea tormentorum ac mortariorum
suggestus; è quibus sexta Octobris,
quæ erat divo Brunoni sacra, mane
circa nonam cepta feriri civitas,
tantæ vi præsertim ex monte Levino
(lewerbergh) similiter ex parte mo-
lendini, ut spatiosa ruina ad portam
venlonensem per mœnia ac murum
hosti pateret.

Obsessi assultum sub noctis ob-
scuro veriti circa septimam vesperti-
nam dedendæ urbis signum hosti os-
tendunt. Pacti igitur deditioñis arti-
culi 43. horum contentum præcipuum
erat.

1.º Ut Catholica Religio liberé,
ut ante, exerceatur Ruræmundæ.

2.º Episcopus et ut reliqui Eccle-
siastici, insuper Religiosi ac Cives in
jure suo ac privilegiis manute-
neantur.

3.º Præsidarius miles honoratè
abcat Lovanium.

4.º Ad publica munia homines
utriusque Religionis promoveantur,
idque arbitratu Batavorum.

Signatum in Castris Ruræmundan-
nis septima Octobris 1702. *Walrad*
Princeps de Nassau. Erat autem Ru-
ræmundæ Gubernator Dominus de
Zoutelant, cui suffectus est Princeps
de Holstein-Beeck nomine Batavorum,
quibus data est Ecclesia Sancti
Spiritus, quam Sorores Pœnitentes pos-
fidebant, quæ tamen in Conventu suo
Ecclesiæ juncto manserunt.

Dum hæc agerentur in superiori
Geldria, Comes Malburgius in Cam-
piniæ Leodiensi cum exercitu adver-
sus Gallos eorumque Ducem Boule-
rium excubans, acceptoque de sub-

Obsidio
Ruræ-
munden-
sis.

Leodi-
cum fo-
tali-
paga-
tum.

Capitu-
latio.

actis ad Mosam Geldriæ locis, rectâ Leodium petit, ibique 13. Octobris propè Castra metatur. Urbs hæc ob imminentem hostem trepida, atque ob inæqualem ac sinuosum situm capi facilis, inito cum Malburgio ac Hollandiæ Deputatis pacto, circâ medium Octobris salvis privilegiis deditur. Miles gallicus, qui in urbe præsidium agebat, ad arces se recipit, quarum altera ad dexteram, altera ad sinistram Mosæ, urbisque partem sita est.

Cohornius rei tormentariæ Præfectus, adductis ex Ruræmundensi obsidione per Mosam tormentis, arcem, quæ a sinistris Leodium tegit, continenti tormentorum vi triduum concussit, adeò ut, dejectis muris, spatiofus obsidentibus aditus pateret, qui 23. Octobris circa quintam horam postmeridianam in muri ruinas assiliunt tantâ vi, ut post prælium, quod utrimque acerrimè gestum est, obtinuerint locum captusque simul in pugna Dominus Violaine arcis Præfectus, unâ cum reliquo milite multum saucio. Impetum irruentis militis dirigebant Domini Generales Fagel et Somerfeldt Batavi. Indè è vestigio ad sinistram Mosæ partem translatæ machinæ, atque 29. Octobris arx altera, in rupe ac Monasterio Carthusiano posita impetratur. Dux Hasso-Casselius obsidioni promovenda, militique præerat. Arcis Præfectus (Millon Gallus) ubi ingentem machinarum vim perpessus erat, ne et ipsum præsidium, uti in altero fortalito, hosti in prædam cederet, honesta lege in obsidentium potestatem transiit, ductusque cum milite Antverpiam.

Post eas ad Mosam ac in Geldriæ nostræ expeditiones, autumnante Cœlo, miles in hiberna dimittitur. Angli ac

Batavi in Geldriam atque Hollandiam distributi, Germanis versus Rhenum digressis.

Non minori fervore in aliis Regionibus hac æstate inter partes bellatum est: et quidem in Italia Princeps Eugenius Cremonam a Gallis Hispanisque insessam nocturno astu interceptit in fine Januarii: miles præsidarius, cum in istis temporis angustiis jungi non posset, attamen facta tumultuaria manu, rem fortiter pro re nata gerebat, adeo ut Princeps Eugenius post horas decem eamdem urbem deseruerit magno utrimque cæsorum numero: captus inibi Marshallus de Villeroy Gallicæ militiae Dux, in cuius locum Galliæ Rex Ducem de Vendosme suffecit.

Trigesimæ July Ludovicus Galliæ Rex Cæsari, Anglis, Batavis, cæterisque Cæsari junc̄tis bellum indicit. Interea Philippus Rex iturus in Italiam, Mense Februario Madrito discedit, petens Barcinonam quoisque Regionam itineris Comitem habuit: octavo Aprilis Barcinonâ solvens felicibus velis in Portum Neapolitanum xv. dicti mensis appulsus est, ac postridie magna honoris significatione a Duce d'Escalona Vice-Rege ac Neapolitanis exceptus est; qui, cum ei fidelitatis Sacramentum dixerant, aliisque, quæ regiæ curerant, actis, 2. Juny Neapoli solvens legit Italiam & italicum Maris littus; ac a Duce et Ducissa fabaudiæ salutatus, 18. Juny Mediolanum ingreditur, quem Princeps Vaudemontius ac Civitas pro dignitate regia suscepit, postquam necessaria curaverat, ad Castra Hispano-Galica propè Cremonam posita profectus est. Philippus Rex ac Dux de Vendosme Gallo-Hispanis præerant, Princeps Eugenius Cæsareos ducebat: præter velitares pugnas acerrimum prælium

Philip-
pus Rex
Italiam
petit.

8 PRODROMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

propè Luzara xv. augusti extitit, ubi ob æquatam tum militis tum Ducum virtutem, nocte pugnam dirimente, utraque pars sibi victoriam arrogabat. Post hæc cum nil digni actum sit, Philippus Mediolanum repetit; inde initio Novembri discedens navibus gallicis in Provinciam peruenit, ubi in itinere terrestri per Languedociam xx. Decembri Barcinonam advenit in Hispanias redux.

Neque Angli Batavique feriati, quin fortissima classe Hispanias quatere intendant, ipsamque urbem Gadtianam, primarium Hispaniæ portum, debellare. Dux d'Ormont militiae præterat, architalassius Rock classem curabat; 17. Augusti propè Gades inter Rottam & fortatilium S. Catharinæ miles e classe in terram ductus: incolæ viso hoste territi ad oppidum. S. Mariæ leucæ inde disfatum fugiunt. Dux Ormontius Hispanos leniter tractare satagens, eos edicto revocat significans se non ut hostem sed ut amicum nomine Caroli Austriaci venire: interea oppidum S. Mariæ exiguo præsidio defensum occupat; ast miles acatholicus contineri non poterat, quin in Ecclesiæ Catholicæ involaret, Sacra comminueret, opulentiores insuper Civium domos expilaret, quod ubi passim innotuit, universam concusit Hispaniam, ipsosque Hispanos oppidò Catholicos usque irritavit, ut vicinæ passim urbes, nobilis juxta & agricola arma adversus hostem capesserent. (1)

Classis
Batavo-
Anglica
Oppugnat
Hispanias
propè
Cadix.

Angli Batavique, qui se nil jam profecturosati, classem cum præde repetunt 8.bris medio, succensis hincinde in vicinia domibus. hostium posremos usque ad navigia Hispani perfecuti sunt. Cum, re itaque infecta, inde clafsis solveret, intellectum est, aurum argentumque indicum ex Americâ in Hispanias portandum propè adesse sub conducedu gallico, cui præterat Chateau-Renaud gallus; hic, ubi acceperat potentem hostium classem sibi imminere, ad portum Vigos in Galliam deflexit, expositurus, qua poterat celeritate, thesaurum indicum, antequam hostis adesset, quem ad evitatem Lugo xxv. horis inde dis. sitam vehi jussit; quod ubi ferme absolverat, hostis adest, portumque ingreditur; post pugnam Gallus hosti impar naves reliquas succendi jubet, quarum aliquot combustæ, aliquot antequam arderent ab hoste captæ. Reliqui thesauri indici, qui ob temporis angustiam transportari haud poterant, iis in prædam cesserunt.

In Germaniâ Marchio Badensis Cæsarei exercitus Dux cum reliquis Imperii copiis Landavium medio Junii obfidet per Melac Gallum defensum; Josephus Romanorum Rex Leopoldi Cæsaris filius xxvii. Julii positurus prima belli rudimenta in castra cœsarea appulit: hinc Landavium majori vi impeditum, decima Septembri deditur. Romanorum Rex Mense Novembri Viennam regreditur; interea Marchio Badensis superiorem Rhenum petens, Brisacum inter et Hunin-

Jose-
phus Rex
Roma-
norum
Landa-
vium ex-
pugnat.

(1) Nota. In litteris ex Classe Anglica scriptis, est stylus vetus, ex Classe Batavica est stylus novus quæ differentia ad minus est decem dierum. Hinc fit concordia temporis in rebus ibidem gestis.

DUCATUS GELDRIÆ.

9

Prælum
 inter Cæ-
 sareos &
 Gallos ad
 superio-
 rem
 Rhenum.

 Galli
 oppidum
 Traer-
 bach ad
 mosellam
 occupant.

gam dictum flumen trajicere cogitat,
 Galli sub Marchione de Villars Cæ-
 sareos, ne in Alsatiæ irruant, tran-
 fitu Rheni arcent; hinc propè Trid-
 lingam inter utrumque exercitum
 acerrimum prælum intercessit dubio,
 ut ferunt, marte; Cæfareis tamen,
 ne transirent, flumen interdictum.
 Cæsar Leopoldus cum Imperio Ro-
 mano bellum indicet Regi Galliæ ac
 Philippo Duci Andegavensum. Initio
 Novembris Galli sub Comite de Tal-
 lard oppidum de Traerbach inter tre-
 viros & confluentias ad mosellam
 situm occupant.

ANNO MDCCIII.

Rhenobercam ac Bonnam Electo-
 ris Coloniensis oppida ad inferiorem
 Rheni tractum hactenus tenebant
 Galli, & Hispani oppidum Geldriæ :
 ea loca per Cæsar's fœderatos hâc
 æstate subacta sunt; & quidem Rhe-
 nobercam a Prussiis mense Octobri
 elapsi anni occlusam, igneque mar-
 tiali fatigatam, non hostilis ignis,
 ast fames, quam brumale tempus
 auxerat, demum expugnavit, ac Prus-
 siis tradita.

Septimâ Februarii 1703. ditionis
 pacta signarunt Comes de Lottum
 Prussiæ militiæ Dux, ac Marchio de
 Grammont Gallus loci Gubernator.
 Miles præfidiarius honoratè decedens
 in Brabantiam ductus.

Interea Malburgius fœderati exer-
 citûs in Belgio Dux, circâ 24. & 25.
 Aprilis Bonnam obsidet; præparato-
 riis ad obsidionem per Cohornium
 tormentariæ rei Præfectum factis,
 sub initium Maii Bonnam tormentis
 quatere cœperunt, ac 15. dicti men-
 sis dedendi loci pactio facta ac signata
 a Duce Malburgio & Marchioned'A-

legre Bonnæ Gubernatore. Hinc Elec-
 tor Coloniensis in Belgium secessit,
 ubi mansit usque ad belli finem. Cum
 igitur ad inferiorem Rhenum nil re-
 sidui Gallis esset, Malburgius Mosam
 versus Copias duxit, ac Huyum Leo-
 diensis ditionis, quod oppidum Mosæ
 imminet, Cohornii machinis concus-
 sum octiduo subegit 26. Augusti, mi-
 lite præfidiario in captivitatem ducto.
 Inde Copiarum partem sub ductu Prin-
 cipis Hasso - Casselii mittens Limbur-
 gum Regis Hispaniæ oppidum obsi-
 det, è vestigio Malburgius secutus
 ipse, ubi locum machinis ob iter im-
 peditum serius adductis coarctaverat,
 Limburgum 27. Septembris traditur.

Consilium supremum Ruræmundæ,
 postquam Geldria superior per fœde-
 ratos Cæsar's subacta, ad interim
 Batavorum imperio pareret, suas in
 Curiæ sessiones aliquanto tempore sus-
 pendit, ac DD. Status fœderati Bel-
 gii desuper consuluit; qui post resolu-
 tionem 24. ejusdem mensis datam
 respondent, quod provisionaliter Con-
 silium in suis functionibus continua-
 ret, & justitiam nomine DD. Statuum
 administraret. Hinc sessiones suas
 circâ Majum resumit. Episcopus Ru-
 ræmundanus de grege suo sollicitus
 districtum Werthensem visitat, ac,
 peractis Paschæ solemnis, Graviam ac
 Neomagum tendit, ubi honoratè sus-
 ceptus, nullo prohibente, muniis epis-
 copalibus in eo districtu functus est; indè
 redux, post Pentecosten ditionis Kes-
 sellensis Parochias inspexit. Porro cum
 ob perpetuos belli motus ærumnas-
 que, quas Geldria nostra perpessa fue-
 rat, ruricolæ admodum eilent ex-
 tenuati, Antistes rogatu Primatum
 Geldriæ Bruxellas petit, deprecaturus,
 ut tributa Galli aut remittant, aut
 saltem minuant; ast in prece fuâ non
 auditus, sub finem Octobris in Gel-

Episcop-
 pus Ru-
 ræmund.
 Wert-
 ham, gra-
 viam, ac
 Neoma-
 gum visi-
 tat.

C

10 PRODROMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

driam rediit, ac post festum omnium Sanctorum Hagam-Comitis concessit; attamen ante festa natalitia ad Cathedram suam redux.

Bavarus aliquas loca ad Danubium occupat. Ad Danubium Elector Bavariae ut ditiones suas tempestivè adversus Cæsarjis ejusque foederatorum arma firmaret, varia ad Danubium ac circum oppida urbesque occupat, ut puta Neoburgum, Ratisbonam, Augustam-vindelicorum, Passavium &c. Electoris Copiis Marchallus de Villars Gallos junxit, quos per sylvam nigram hactenus alias imperviam duxit verno tempore; hinc Comitatum Tirolensem ejusque Metropolim Innsbrugum Bavarus occupat, ut per Montes se jungant Gallis sub Duce de Vendome Tridento incumbenti; ast, intercluso per Cæsareos ac ruricolas Montium transitu, Bavarus, deserto Tiroli, Danubium petit, ac prosperè aliquot præliis contra Cæsareos ejusque Foederatos pugnavit.

Ad Rhenum superiorem Dux Burgundiæ Delphini filius, ejusque militum Vicarius Marchallus de Tallard mense Septembri Brisacum expugnat; indè digressus Tallard Landavium obsidet, ac post cæsos propè Spirback Germanos in subsidium Landavii intentos, 5. Novembbris locum ad ditionem coëgit.

Dux de Vendome, ubi irrito conatus suas Bavari Copiis jungere tentaverat, subito itinere Copias in Ducatum Mantuanum ducere à Rege jussus, Dux Sabaudi legiones Gallis adhucum immixtas 29. Septembbris armis nudat, captivasque tenet; nam Sabaudia Dux, renuntiato Hispanico Gallicoque foedere, se junxerat Cæsari; cuius Copiæ mox sub ductu Visconti & Staremborgh in auxilium Dux Sabaudia profectæ sunt. In Hispaniis Philippus Rex ad imminens

bellum haud segniter arma parat.

Beilo igitur hæc æstate inter partes variæ fortunæ gesto, Leopoldus Romanorum Imperator Vienna: Carolum filium secundo-genitum 12. Septembbris decernit, proclamatque Hispaniarum Regem sub nomine Caroli tertii; postquam Leopoldus ipse ejusque primo-genitus Josephus Romanorum Rex hereditati Hispanicæ in favorem Caroli renuntiassent, post plausus ac congratulationes Neoregi factas, decimanonæ memorati mensis Carolus Rex Hispanias petiturus Viennæ circè vesperam discedit, rectâ Dusseldorpium tendens, ubi decima sextâ Octobris post meridiem appulit: ab avunculo Electore Palatino perbenignè, ac regio more suscepitus, aliquot ibidem diebus substítuit, quem Deputati Colonienses, Aquentes, Leodienses obsequiosè salutabant; ast Geldriensium nemo, forte aliundè impediti.

Demum xxix. dicti mensis in navi prætoriâ, quam illi omnino regiam adornaverat Elector, inferiore Reno decedens, Hagam Comitis tertio Novembris advenit, indè Angliam versus, postquam Classem vigesimâ Novembris consenderat, adverso vento ac sævâ tempestate jaëctatus, vigesima secundâ denud in Hollandiam rediit, undè sub initium subsequentis anni consenserat denud Classe, in Angliam, ut dicetur, transiit.

Interea ut ad Geldriam nostram sermo redeat, concluso per æstatem Geldriæ oppido, ut ante memoratum, Prussii propriis accedentes trigesimâ Septembbris suggestus sedesque locandis tormentis bellicis excitant; et quidem prima sedes ante portam Geldriensem locata est, altera ad Issemensem, tertia denique ante portam lapideam: iis ita paratis, tertia

Carolus Austria-cus Rex Hispania-rum re-nuntiatus, Hispanias petis.

Bombar-datio op-pidi Gel-driensis.

Octobris post meridiem è duobus suggestibus oppidum tormentis impetrare cœperunt, quæ Machinarum vis, ubi triduū tenuit, Comes de Lottum Caduceatorem obsesfis mittit, ni oppidum dedant, igne martiali subvertendum. Gubernator (erat N. Dominus de Betis Hispanus) respondet, locum se ad extrema defensurum. Oppidani imminens malum facile suspiciati, cuncta in locis subterraneis recondidere, maximè in caveis Patrum Carmalitarum, ac Monialium ejusdem Ordinis, quæ receptacula afferibus, trabibus, fimo aliisque meditamentis adversus martiam ignem firmabant.

Septimâ igitur Octobris (erat dominica dies) ex tribus sedibus primâ luce oppidum quatere cœperunt (mortaria erant 32, tormenta bellica multo plura) tantâ vi ac fragore, ut pluviae instar è Cælo ignis rueret, obvia quæque sterneret, ipsamque caveam apud Moniales Carmelitanas, variis licet tegumentis firmatam, decidens pyreuma, seu bomba usque ad ima penetravit; id tamen, Deo protegente, factum est, ut ex latentibus inibi foeminis (sexaginta fermè erant) nil nisi animi deliquium, mortisque metum perpesæ sint, cæterum pulvere terraque æthiopiarum instar denigratæ. Ea vis (bombardatio) usque in seram noctem protracta est, arsitque Conventus Monialium tertia regula S. Francisci, ac plura ædificia in favillam abeunt. Sub noctis obscuro, ubi hostilis ignis non nihil remitteret, plerique ex caveis ad propugnacula securitatis ergo currebant, ubi tamen plurimi extinti sunt. Sub crepusculo sequentis diei resumptus missilium ignium impetus, adeo, ut oppidum ex fragore tremeret: circè tertiam pomeridia-

nam hostis vexilla plicat, missa ad Gubernatorem nuntio, aut locum dedit, aut extrema patiatur. Imbellis sexus lachrymis Gubernatorem fatigat, ut locum tradat, ac Civium misereatur; ast Præfecto hisce nil moto, secutâ mox die martialis ignis oppidum fortius concussit.

Parochialis Ecclesia, quæ tertio jam ignem conceperat, nunc demum, cum nulla ignis restinguendi daretur facultas, cum universâ supellecile sacrâ arsit: insuper Ecclesiam ac Conventum Patrum Capucinorum flamma absumpsit, tenuitque incendium totâ nocte: attamen Patrum Carmelitarum Conventus, Ecclesiæ Parochiali contiguus, tametsi die sequenti, quæ erat mercurii, ac quarta bombardationis dies, ollis incendiariis, bombis, cæteroque hostili igne impeteretur, crebrò licet arderet, protegente Deo ac singulari Regularium diligentia fervatus est; atque cum præcipua jam ædificia jacerent, non destitit tamen hostis ferramentis, lapidibus, ollis, pyrobolis usque in diem Dominicam obseffos fatigare; quâ licet die a pyrobolis, missilique igne abstineret, continenti tamen machinarum tonitru usque ad vesperam sequentis diei oppidum quatiebat. Die igitur decimasextâ Octobris cesabat bombardatio, hoste ad pristinas stationes regresso.

Injecta, ut postmodum intellectum, sex millia pyrobolorum (bombras dicunt) olla incendiariæ sexcentæ; hujusmodi quippè olla instar urnæ circulis ferreis in se concludit materiam pyram, quæ accensa flammam duodecim omnino pedibus in altum duebat; erantque minores pyroboi olla inter reliquam materiam inclusi, qui disrupti, eos, qui restinguendo

12 PRODR OMUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

igni proprius accedere vellent, concuerterent.

Post obsidium hujus modi ollas inter ipsas oppidi ruinas Geldriæ vidi. Tormentorum globi duodecim mille: ferramentorum, lapidumque injectorum non erat numerus, neque ratio, adeò ut mirum sit, non omnia cum hominibus fuisse absumpta.

Permanerunt tamen duo Conventus Carmelitani utriusque sexus, tametsi multum perforati, insuper Ecclesia cum Monasterio Canonicarum regularium Sancti Augustini vulgo Nazareth.

Oppidani post perpeccum hostilem ignem dispersi atque angustiati, ad fuos quisque lares remeant, sub ruinis contra aëris injurias ac brumale frigus latibulum quæsturi, ubi cum menses omnino duos transfigissent, neque ulla auxilii spes apparet, utpote universa Patria per Fœderatos Cæsaris subacta, Rex ipse Civium suorum misertus, loci Præfecto significat, locum hosti sub honestâ lege tradat: hic Magistratui, Ecclesiasticis ac Militum Præfectis Regis mandatum exponit, articulos legemque dedendi oppidi explicat, si quid addi vellent, id in præsens expediant. Misit igitur ex oppido Gelriensi Wesalam, ut de loco dedendo paciscantur, qui tractatus ad tres usque septimanæ protractus est, eoque demum perfecto, in quo Civium Privilegiis, Catholicæ Religioni, ac Militis præfidiarii Honori affatim prospectum erat, porta Gelriensis decimaseptimæ Decembris Prussiis traditur, ac vigesimaprimæ memorati Mensis die præsidium juxta pacta conventa militari honore discedit in Brabantiam. Articulos dedendi oppidi (Capitulationem dicunt) non appono, cum norma, ac lex eâ de re

inter Carolum VI. Romanorum Imperatorem ac Regem Borussiæ non tantum pro oppido Geldriæ, sed reliquâ etiam portione superioris Geldriæ, quanta Regi Borussiæ cessit anno 1713. 2. Aprilis condita sit, ut suo infra loco memorabitur.

Octavâ die Decembris, quæ est festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, extitit terribilis venti tempestas, quæ multas disjecit turres, ædesque, arbores innumeræ stravit, naves demersit; imo tanta erat vis, ut ex stagnis levatam unâ cum piscibus aquam nubis instar ad horæ quadrantem projecerit in Parochiâ nostra de Helden.

Ut reditus, emolumenta ac registra Ecclesiarum, Pastoratum reliquorumque Beneficiorum in Diœcesi Rurmundensi conservata maneant, quvariis subinde casibus pereunt, aut deperduntur, hinc Episcopus mandavit omnibus & singulis Beneficiatis, ut sua quisque registra & documenta authenticè descripta ad archivum Episcopale transmittat ibidem servanda, ut quisque Beneficiatus in casu necessitatis illuc pro instruptione iis registris inspiciendis recurere possit.

Vehemens
ventus.

Registra
Beneficiorum
ad archivum
Episcopale
servanda
deferuntur.

ANNO MDCCIV.

Carolus Austriacus Hispaniarum Rex, ubi in Hollandiâ commodum in Angliam navigandi ventum aliquanto tempore expectaverat, tandem tertiam Januarii 1704. in Vlardingen consensâ Angliae Clasæ sub Architalasso Rock, sextâ ejusdem mensis prosper ex Hollandiâ in Angliam appulit in Spithead, quem Angliae Regina pro regia dignitate exceptit habuitque: postquam vero Hollandica Clasæ Britannicæ se junxerat, circa medium

DUCATUS

GELDRIÆ.

13

Carolus Rex ex Anglia in Portugalliam navigat.

Januarii indè solventes, ubi secundis velis Portugalliam versus aliquo spatio processerant; altera demum procella ac foeda tempestas unitam Classem in portus Anglicanos denud rejecit, navibusque laceris pro temporis arcitudine refectis, xxiv. Februarii iteratè velis se committunt, ac prospero cursu septimâ Martii Ullisponem appellunt; Carolus verò nona dicti mensis a Rege Portugalliae in regiam urbem palatumque ingenti lastitiâ ac honore ex Classe deductus est.

Mox miles Anglus Batavusque ex onerariis navigiis in littus lusitanicum exponitur, ac variâ dein sorte inter Hispanos ac Lusitanos eisque Consœderatos hâc æstate res acta est.

In superiori Germaniâ plura ad Danubium loca Bavarus subegerat, cui ingentes Gallorum Copiæ acceſſerant, quibus cum Cæſarei impares eſſent, Angli, ac Batavi, transito propè Ruræmundam Mosâ, Germaniam sub Duce Malburgio citato agmine petunt, Cæſareisque juncti Bavaram propè Donavertiam adoruntur, quem post anceps diu prælium recedere cogunt: resumptis exindè hinc indè viribus, acerrimus denud inter utrosque propè Hochstetum intercessit conflictus.

Bavarus suos, Comes de Tallard Gallos curabat; Princeps verò Eugenius Germanis, Malburgius Anglis, Batavisque præſt; aequato dudum inter acies prælio, ipsum Tallard, qui hostis cognoscendi cauſa a suis aequò longius recesserat, intercipiunt Germani; eo rumore inter acies per clamores sparso, Cæſareisque acrius instantibus, cœpit Gallorum acies inclinare, ac ruptis demum ordinibus fugere: Bavarus, acceptâ Gallorum clade, suos pugnando ab hoste subduxit. Eo prælio ultrà viginti millia

cecidisse ferunt, ac magna Gallorum multitudo capta. Bavarus, quæ ad Danubium tenebat loca deserit, Rheumque petit.

Fœderati Bavariam ingressi hostili-
ter ac flammis depopulati sunt; atque ad Danubium hoc modo bellum con-
fectum est. Bavarus intereà Belgum
repetit, ac sub initium Octobris
Bruxellas appulit, & Belgium, quod
ejus nomine Marchio de Bedmar cu-
raverat, denud administrare cœpit.
Cæſarei victoram prosecuti Landau-
vium in Palatinatu obsident sub
auspiciis Josephi Austrii Romanorum
Regis, qui prima inibi Martis speci-
mina edens, exeunte Novembri locum
ad deditiōnem coēgit; quo etiam
tempore Trarbachii fortalitium, quod
Mosellæ flumen penè ambit, subac-
tum est a Duce Hassico.

Nec inferiore sorte Classis Batavo-
Anglica Gibraltar, portum Hispaniæ fortissimum, quod freto Gauditano imperat, initio Augusti subigit.

In Belgio nostro nil memoratu dignum gestum est; Batavi quidem Na-
mucum infesto igne bombisque impetunt, aſt exiguo oppidanorum
damno.

Tametsi præſens annus Hispano-
Galloque fuerit admodum funestus,
in Sabaudia tamen Galli nonnulla
Duci Sabaudico loca ademerunt, ac
in annum futurum haud segniter arma
militemque parant.

Mense Junio Episcopus Ruræ-
mundanus districtum Geldriensem
inspicere cœpit, ac mense Novembri
in Brabantiam perrexit, ubi a Ba-
varo pro Ecclesiasticis ac locis Deo
sacratis in Geldriâ protectionem
(ſauve-garde) obtinuit.

Josephus
Romanorum
Rex Lan-
davium
expugnat.

Classis
Batavo-
Anglica
Gibraltar
occupata.

Antistes
Ruræ.
Geldriæ
distric-
tum visi-
tat.

In præ-
lio propè
Hocste-
tum, Tallard
Gallus
captus.

Angli
Bavariam
hostiliter
vexant.

ANNO MDCCV.

*Mors
Leopoldi
Impera-
toris, cui
succedit
Josephus
filius.*

Inter has bellorum turbas quintā Maii vivis excessit Leopoldus Imperator, anno ætatis sexagesimo quinto; hic Ferdinando tertio Cæsare ac Mariā Austriacā Philippi iv. Regis Hispaniarum sorore natus fuit 9. Junii 1640. ac a Septemviris in Caput Imperii 18. Julii 1658. electus, non minus armis, quam confilio Regnatum hæreditaria, quam Imperium Romanum adversus hostem externum domesticumque propugnavit. Palam sunt rebellium Ungarorum in ejus Caput conspirationes ac conjurationes, ast, protegente Deo, detectæ ac dissipatae: orbi patent victoriae in Turcam, qui ducentis armatorum millibus Leopoldum contra leges icti fæderis adortus, Viennam obsedit, ac totum jam Imperium spe devoraverat: Leopoldus miræ semper in Deum confidentiæ è tanto discrimine liberatus est; quippe perduelles Ungaros domuit, quin & Turcam fregit, ac universam ei Ungariam ademit, atque ita victus a Leopoldo pacem demum accepit Turca. Erat Leopoldus eximia in Deum pietatis, in consiliis sicut Angelus Dei, admirandæ mansuetudinis, atque in hostes clementiæ, ac sanctissimum Domūs Austriacæ ornamentum. Acta tanti Imperatoris fastis austriacis relinquuntur.

Patri succedit Josephus eo nomine primus, hic utpote anno sexcentesimo nonagesimo per Principes Electores in Regem Romanorum designatus, continuò Imperii habendas suscepit, ac bellum Hispanicæ successionis à Patre susceptum ingenti animo prosequitur, quod magis hactenus ferbuit.

In Hispaniis quidem Carolo Regi sors nunc quam elapo anno magis favet: Classis namque Anglo-Batavica Ulisipone solvens hispanicum littus legebat, ac Barcinonæ xxii. Augusti appulit; mox Militia sub Principe Hasso-Darmstadt, ac Lichtenstein, nec non Comite Peterburgh Anglo in littus exposta Barcinonam obsidet, per Petrum de Velasco defensam, quam intra septimanias omnino tres debellat; subacto prius, quod urbem tuebatur, fortalito de Montjovii, in cuius expugnatione Princeps Darmstadiensis Caroli Regis ex parte Matris Cognatus cecidit, Dux Belli fortissimus, magnique consilii vir. Barcina suppetuis destituta ac hosti ultrà resistendo impar nono Octobris honestis legibus Carolo tertio deditur: mox Catalaunia omnis, quin & Regnum Valentia ei cedit.

In Belgio Angli ex Hibernis mature digressi utramque Mosæ ripam legentes Trajectum Mosæ tendunt Hollandis, qui imibi sub tentoriis in monte Sancti Petri subsistunt jungendi; mox coadunati per agrum Juliacensem & Coloniensem Treviros petunt sub finem Maii, ubi Cæsareos reliquosque Fœderatos nondum paratos aliquanto tempore opperebantur. Galli veriti, quod Lotharingiam ac Alsatiam infestarent, & ipsi Copias ex Hibernis colligunt, ac castra adversus præsentem hostem mununt. Malburgius, Germanis nondum advenientibus, cum in speciem prælii Gallos aliquoties frustrè tentasset, subito itinere Mosam repetiit, opem latus Mosæ accolit, quos Bavarus belgicæ militia Dux oppugnabat; Hujum mense namque Junio debellaverat, ac Leodium ingressus, arcem excitatis tormentorum sedibus

*Carolus
Rex Bar-
cinonam
expugnat.*

*Malburgius
invenit
castra
egredi
expugna-*

in speciem obsidionis terret, nil tamen hostile in eam egit; hinc Trajecti, quod in viciniâ est, trepidatum est, ne Bavarus hostili igne eos impeteret, (bombardaret) a quo tamen abstinuit, ac exeunte mense Junio discedens Leodio Copias post aggerem Brabanticum (lineas) reduxit: Malburgius interea a Mosellâ redux Trajectum appulit, ubi coadunatis Copiis Hujum versus tendunt circa finem Julii, quo denuo expugnato, consilia in eo erant, ut lineas brabanticas, quas triennio incastrum circumsederant, demum transgrediantur: silenti igitur agmine festinantes, summo manu lineis approximant, ac lectâ manu tentando transgrediuntur, disjectis vigiliis, succedente identidem, quantum per patefactos aditus licebat, milite, priusquam Hispanus Gallusque miles ad quatuor leucas tutandis lineis hinc-indè diffusus, turmatim coire posset; qui, quantum per vires licebat, habito contra irruentem hostem certamine, deinde recedunt; collectasque Copias Bavarus Lovanium ducit; ubi Diliam flumen transgressus politis castris hostem expectat; Malburgius, quod in itinere erat, Thenarum oppidum expugnabat, ast tentato semel iterumque variâ viâ in Brabantiam ingressu, cum nil adversus Bavaram proficeret, Soutlewam paludofo loco sitam debellat, atque æstate in Autumnum vergente, uteque exercitus in hiberna digreditur.

In Italia atque Sabaudiâ variâ fortunâ res acta est ob æquatam utrumque tam Ducum, quam militis virtutem: Eugenius quippe Sabaudiæ Princeps Cæfareis, Dux de Vendome Gallis præterat.

Tametsi Batavi Ruræmundam, Venlonam, Stevenswerdam præsidio te-

Malburgius lineas
brabanticas seu
aggerem expugnat.

Similiter
Thenas et
Soutle-
wam de-
bellat.

nerent, totiusque superioris Gelriæ curam ad interim gererent, tamen, quæ Catholicæ Religionis erant, nusquam impediebant, quin Batavorum legati, cum Gelriæ Statum inspec- turi venirent, apud Antistitem Ru- ræmundæ divertebant, a quo lautè habitu, nec ingratii recedebant.

Mense Septembri Episcopus Fal- coburgensem districtum visitat. Per eos quoque dies Daniæ Regina, quæ sanitatis recuperandæ causâ ad Ther- mas aquenses perreverat, exindè in Daniam redux Ruræmundæ ab Epis- copo pro regiâ dignitate suscepta est, quod humanitatis ac hospitalitatis officium sibi a Præfule Catholico im- pensum variis gratitudinis argumentis rependit.

Hoc anno tragœdia sanguinolenta inter novum et veterem Magistratum Neomagi accidit ratione regiminis, cum enim Rectores veteres è Curiâ novum Magistratum vi depellere ten- tant, ipsi victi perierunt. Mauritius Orangiæ Princeps, dum Neomagum 1591. undecimâ Octobris Hispanis eripuit, inter pacta hoc erat articulo 3. ut Principi facultas esset le- gendi novum Magistratum, usque ad finem belli mensurum. Finito bello, tametsi Neomagenes veteri more legere Magistratum vellent, non sunt auditi a Nasoviis, donec, evoluto & ultra seculo, anno nempe 1702, post excellum Wilhelmi Principis Nas- sovi ac Regis Angliae, exauktorato veteri Magistratu, novum prisco more Neomagenes creaverint, non tamen absque turbis: exauktorati cum apud fœderati Belgii supremum Collegium de injuriâ frustrâ ac diu questi nil auxilii obtinerent, armis dénum amissi honoris gradum repe- tendum censem; ac 1705. 7. Augusti armati Curiam ingrediuntur, Magis-

Regina
Daniæ
apud An-
tistitem
Ruræ-
mundæ
hospi-
tatur.

Bellum
civile
Neomagi.

Ex actis
prelo
vu'garis,
per Abra-
ham van
Wesel
rhypogra-
phum
Neoma-
gensem.

tratum novum loco cedere jussum in cubiculis seorsim vi ac minaciter detinent, expectatā frustrā, quæ seque-
retur, amicorum turbā, cui per Cives
præclusa via. Mox Cives Magistratui
a se nuper creato suppetias laturi in
Curiam irruunt, obvios quoque
sternunt, reliquos è Curiae fenestrīs
suspendunt, ac uno, qui in urbe la-
tuerat, postridiē decollato: atque
hoc modo Neomagenses per suorum
sanguinem in prisca privilegia post-
liminiō transiēre.

Tragica hæc Neomagensium actio

ac pugna cum ingenti rumore quaqua
versum spargeretur, novus Magis-
tratus, ut suorum eā die acto-
rum justitiam palam faceret, cunctis
isque rationem redderet, publicam
edidit relationem 30. Septembris
1705. typis neomagensibus, quam
hic verbotenus idiome gelrico, ut
est concepta, referre placuit, materiam
hanc historicis gelris prolixius diri-
gendarum relinquens, utpote, qui nar-
rata mea ad Chronicū arctitudinem
redegī: relatio autem est hujus-
modi.

KORT VERHAEL

Van het geene op den 7. Augusti deses jaers 1705. als oock
eenigen tydt van te vooren de Magistraet der Stadt Nymegen
concernerende is voorgevallen.

BOrgemeesteren, Schepenen ende Raet
der Stad Nymegen op den 29. July des
jaers 1702. door de Gildens en Borge-
rye vrywilligh geëligeert, en tot bare Re-
genten aengestelt synde, vernomen beb-
bende, dat van tyt tot tyt eenige quaet-
aerdige menschen, meer hare glorie en
eigen baet, als wel het generael welwe-
sen van de Stat en hare mede-borgeren
behartigende, t' elkens getracht hebben,
onder alle onware en valsche pretexten
haere wettige Regenten by de Borgerye
batelyck te maken, om, waer het doen-
lyck, de selve regent eed en pligt af-te-
setten, en haer selfs neffens de afge-
dankte Regenten op het kussen te stellen,
en in de Regeringe te dringen, hebben-
de sy ten dien eindē al in den jaere
1703. by nagt en ontyden met geschrif-
ten langs de deuren der Borgeren geloo-
pen, om het selve tot sluyringh van de
keure, (soo op den 2 Jan. 1704. stont te

geschieden) te doen teekenken, al het wel-
ke Borgemeesteren, Schepenen en Raet
badden gedacht, dat door hare modera-
tie en sagtfinnigheyt souden te boven geko-
men en ten eenemael gesleugt hebben; soo
ijl egter ter contrarie gebeurt, dat de
nachtloopers met hare complices meer en
meer geyvert, en met vele onwaerheden
de sacke soo verre hebben gebragt, dat
hare bende is aengegroet en sterker ge-
worden, haer addresserende aan menschen,
die in bare proceduren, of voor de Hee-
ren Schepenen, of voor den Raet hadden
gesuccumeert, de welcke met een gedeelte
van de afgedancte Regenten haere vrien-
den, en met degem die by de keure der Bor-
gerye van den 25. July des jaers 1702.
suffineerden voor by gegaente syn, een rede-
lyck groot getal uytmaakten, de welcke
haer in den voorledenen jare aan de Hee-
ren Gecommitteerde uyt den Heeren Staten
van Hollant en West-Friesland, aan de
Heeren Staten van Gelderland afgesonden,